Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36523
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift

re Mediolanum remeauit. ad ambrosium uenit. baptismum petiuit. Qui
uit, quam credi potest in domino exultans. laudesque excelsas deo libans. sacri fon
tis unda abluit eum. cum alipio domitore corporis fortissimo. qui usque ad ytalicum
solum glaciale ausus est incedere nudo pede. Erat tunc augustinus xxx. annorum.
Quo in christo regenerato in fide christi confirmato beatus ambrosius in hac eius conuersi
one sanctam trinitatem letabunda uoce collaudauit. ymnumque augustinum ad
declarandam fidem suam in laudem dei inuitauit. Sic ergo collaudans et benedi
cens ait. Te deum laudamus te dominum confitemur. Et augustinus sequens
adiecit. Te eternum patrem omnis terra ueneratur. Sic totum ymnum illum in
gloria sancte et indiuidue trinitatis ediderunt. ambrosio primum uersum dicente et
augustino sequentem canente. Porro autem ultimum uersum idem terminauit
augustinus. In te domine speraui non confundar in eternum. Adiunxerat etiam se
cum puerum nomine adeodatum. quem adhuc gentilis genuerat. Annorum
erat ferme quindecim. et ingenio preueniebat multos graues et doctos uiros.
Nutriebatur hic a patre in disciplina dei. Est liber augustini qui inscribitur
de magisterio. ipse ibi secum loquitur. Huius sensa omnia que ibi inseruntur.
ex persona colloquentis patris omnes qui legunt mirantur. omnes qui audiunt
obstupescunt. Cumque esset in annis sedecim. multa eius alta mirabiliora expertus
est pater eius. Unde sic idem testatur. horrori erat ei illud ingenium. Baptizatus
est et ipse. Cito ablatus est de medio mortalium. in ipso florentis adolescentie pri
mordio. post transitum scilicet aue sue. de qua in proximo narrabimus. Conso
ciauit quoque sibi augustinus euodium iuuenem. ex municipio thagastensi. Qui
cum agens in rebus militaret. prior eo ad deum conuersus et baptizatus est. re
lictaque milicia seculari cohabitabat illi. Querentes namque quisnam esset locus
eos utilius haberet. pariter remeabant in affricam. Cumque apud ostia tybe
rina essent. mater augustini defuncta est. Sed silentio pretereundum non est. quante
hec mulier fuerit probitatis. quante in suos deuotionis. quante in alienos benigni
tatis. et sic transmigrationem eius summatim perstringere. Inter discordes quas
libet animas atque dissidentes ita se prebebat pacificam. ut cum ab utraque de
inuicem multa audiret. amarissima. qualia solet eructuare preceps discordia.
nichil tamen alteri de altera proderet. nisi quod ad eas reconciliandas ualeret.
Virum etiam suum in extrema uita lucrata est deo. Erat seruia seruorum dei. Quis
quis eorum nouerat eam. multum in ea laudabat deum. et honorabat et diligebat.
quia sentiebat in corde eius presentiam illius sancte conuersationis fructibus. Fuerat unius
uiri uxor. Mutuam uicem parentibus reddiderat. domum suam pie tractauerat.
inopibus bonis testimonium habebat. Nutriebat filios suos totiens eos par